



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,  
Africanam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1619**

Cap. I. De Orbis Noui statu in genere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11108**



DE STATV  
 RELIGIONIS  
 CHRISTIANÆ  
 PER ORBEM NOVVM,  
 LIBER IV.

DE ORBIS NOVI STATV  
*in genere.*

CAPVT I.



Nte Hispanorum in No-  
 uum Orbem aduentum,  
 duo potentissima erant  
 Regna seu Imperia illius  
 Orbis, *Mexicanum & Per-  
 uanum.* Apud Mexicanos  
 Rex haud nascebatur, sed eligebatur, vt Im-  
 perator Romanorum hodie apud Germa-  
 nos. Apud Peruanos contra Rex nasceba-  
 tur, &

tur, & iure sanguinis succedebat : vt apud Hispanos, Francos, & alios Europæ populos.

Cæteri porrò Noui Orbis populi nullo Regum imperio continebantur, sed vt Republicæ seu Communitates aut plurium arbitrio regebantur, aut, vt prorsus barbari, nullis legibus aut Superioribus obtemperabant. Prioris generis sunt hodie Araucani, Tucapelij, & alij apud Chilenses, qui tempore belli Ducem sibi deligunt, cæteroqui sine Duce aut Præfecto. Tales item fuerunt incolæ *Noui regni Granatensis, Guatimalæ, Florida, & Luzoniæ* insulæ in Philippinis. Posterioris generis sunt hodie pro magna parte *Brasilienses & Floridi, Chiriguana, Cunchi, Iscaycingæ, Pilcozones*, & in Noua Hispania *Cichimeci*; qui instar ferarum, gregatim vagantur, & venatione victum sibi quærunt, arcu ac sagittis instructi.

De siluestribus istis Indis agit Iosephus Acoſta, in suis libris *De procuranda Indorum salute*: quos primùm ad humanitatem ac ciuilitatem honesta quadam vi compellendos esse docet, ac deinde ad Christi doctrinam amplectendam.

Cæterùm vt apud Europæos olim Romani Imperij amplitudo, ad Euangelica Christi dogmata longè lateque disseminanda,

da, plurimùm contulit; sic per Mexicanum & Peruanum regna Hispanorum armis subacta, paucorum annorum spatio, Christiana Religio facillimè est propagata, & floret hodie quàm maximè.

Orb's Noui seu Indiæ Occidentalis Historiam Naturalem & Moralem accuratè scripsit Iosephus Acoſta, ex Societ. Iesu, qui in ea multis annis vixit.

## CAPVT II.

DE INDIAE OCCIDENTALIS,  
*seu Orbis Noui inuentione.*

**O**Rbem hunc verè Nouum, & veteribus prorsus incognitū, Christophorus Columbus Genuensis, Ferdinandi Magni Regis Catholici auspicijs, anno 1492. Primus detexit. Quā viā ac ratione id factum, in gratiam curiosi Lectoris paullo fusiùs explicabo.

Fortè contigit, nauem, quæ ex Hispanico littore soluerat, in Oceano summa vi tempestatis sic agitari, ac demum ad eò procul abripi, vt quàm longissimè inter Occidentem & Meridiem progressa, ventis aduersis ad nouam omnibus tunc ignotam & inaccessam insulam deferretur. Ea deinde, vt præpotenti Deo visum est,

tot